Disputationem de hypercatharsi / ... publice ventilandam proponit Petrus Edelmann.

Contributors

Edelmann, Peter, active 1681-1683.
Crause, Rudolf Wilhelm, 1642-1718.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Wertherianis, [1681]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ecmxmx2a

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

6

AUSPICE AUTORE
ΥΓΙΕΙΑΣ,
PRÆSIDE
DN. RUDOLPHO GVILIELMO
CRAUSIO,
Phil. & Med. D. Pract. & Chym. P. P. celeberrimô, Facult. Med. Seniore maximè ſpectabili, ut & Leopoldinæ Societatis Collega dignissimô,
DN. Patronô, Promotore, Præceptore ac Hoſpite ſuô omni honoris & obſervantiæ genere ætatèm devenerandô,
DISPUTATIONEM
DE
HYPERCATHARSI
Symmyſtis Aſclepiadeis
publicè ventilandam
proponit
PETRUS Edelmann / Hadmerslebiâ-Magdeburgenſis,
in ΑΚΡΟΑΤΗΡΙΩ MEDICO
A. d. Decembr. An. M. DC. LXXXI.
Horis conſuetis antemeridianis.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.

GENEROSISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO,

DOMINO

GUSTAVO ADOLPHO à Schulenburgk/

POTENTISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIO INTIMO, ARCHI-DUCATUS MAGDEBURGENSIS PRÆSIDI EMINENTISSIMO, PRÆFECTO in Biebichenstein/ HÆREDITARIO in Embden/ Schadeleben/ Betzendorff/ & Hohen-Warsleben/ &c.

MÆCENATI SUO MAXIMO SANCTE AC JUGITER COLENDO

IN

SUBMISSÆ OBSERVANTIÆ SIGNUM

SPECIMEN HOCCE ACADEMICUM

D.

D.

D.

P. Edelmann/ A. & R.

A. Ω.

CAP. I.

De DEFINITIONE.

Περκαθάρσεως naturam atque curationem, Bono cum DEO, indagaturus, citra ambages à Διαγνώσει adfectus hujus exordiar, idque ope *Definitionis Nominalis* & *Realis*.

NOMINALIS sistit ETYMOLOGIAN, sive vocis originationem, OMONYMIAN, sive vocis significationem, & SYNONYMIAN, sive æquivalentem adpellationem; Hæc enim de quâlibet voce aliàs quærere usu receptum est.

Vocis Originationem quod concernit, nemo non, qui vel primis Græca labris attigit, in facili videt hanc sua Grajis debere natalia, atque descendere ἀπὸ τοῦ ὑπέρ, quæ præpositio hôc locô, ut aliàs quoque sæpiùs, superlativum, id est *nimiùm*, *super* vel *supra modum* indicat, & à verbo τὸ καθαίρειν *purgare*, quod quandoque in foro Medico *in genere* quamvis purgationem, sive *spontè* sive *ope medicamentorum* ea fiat, denotat; Sæpiùs autem, & in *specialiori significatu* de sola purgatione, quæ ἄνω vel κάτω *à specifica medicamenti purgantis virtute* excitari solet, prædicatur.

Inde medicamenta purgantia καθαρτικὰ & effectus horum *purgatio* κάθαρσις Græcis audiunt, atque ubi illa

tyrannidem in humores corporis nostri exerunt; sive, ubi purgatio nimiùm, idque vel κάτω, vel simul ἄνω excitatur, dicitur Græcis ΥΠΕΡΚΑΘΑΡΣΙΣ, Latinis *nimia, immodica, superflua,* vel, terminô potioribus autoribus usitatiori, SUPER-PURGATIO: Præterque has recensitas adpellationes rariûs æquivalentes reperies. Teutones amant dicere de eo, hôc qui laborat symptomate: Die Purgation greifft ihn zu sehr an / Er purgiret Lung und Leber aus. It. Er purgirt biß aufs Blut.

Solet quidem ὑπερκάθαρσις aliquibus sub cholerae nomine explicari, & *cholera spuria* vocari; it. pro *diarrhœâ*, quando venter nos ad adsellationes plus nimis incitat; ut & non rarò pro *dejectione* ἄνω καὶ κάτω factâ *à venenô*, sumi; nec infrequenter etiam *dysenteria* dici. Præterea καταμήνια ἄμετρα, *menses immoderati* adpellitari quoque solent ὑπερκάθαρσις *menstrua*; sed quemadmodum ex suprà dictis liquet, iis in passibus vocabulum ὑπερκαθάρσεως sumitur in latiori significatione, nos autem in propria & specialiori, *pro nimia dejectione post adsumpta purgantia* contingente id accipimus.

Hisce paucis sic præmissis ad rem ipsam descendimus, ac fundamenti loco talem exhibemus DEFINITIONEM sive descriptionem.

HYPERCATHARSIS *est frequens & copiosior* κάτω, *sæpè etiam* ἄνω *humorum tàm alimentarium quàm excrementitiorum excretio, à nimia eorum fermentatione, & contractione irritati ventriculi, imprimis prolongati, post adsumptum purgans excitata.*

Genus, quod in hoc adfectu, ceu in aliis accidentibus *formalem* constituit *rationem*, dicimus esse ἔκκρισιν, *excretionem*.

Re-

Referri ergò debet ad *symptomata in excretis*, quò referri solent ejusmodi rejectiones, quæ neque ἀκαίρως neque μετ' ἀφορίας h. e. *nec tempestivè, neque cum facili tolerantia* fieri solent; utrumque enim in præsenti adfectu deprehenditur.

Etenim adsumptô medicamentô, acrius & violentius intestinorum parietes vellicante & irritante, contrahuntur intestinorum membranæ ad exprimendum obvium, atque hinc non *excrementitii* solùm, verùm & *alimentarii succi*, ipsique *spiritus* ultra naturæ & virium sphæram excernuntur; imprimis, si humores in corpore contenti, fermentationis turbis nimiùm subjiciantur, quaqua patet via, exitum quærunt, & tunc cum maximâ ægri molestiâ copiosius plerumque κάτω, sæpiùs tamen etiam ἄνω expelluntur. Nam juxta mentem *Excellentissimi DN. D. WEDELII, Præceptoris & Patroni mei summè devenerandi, l. de Med. Facult. p. 154.* Plurima purgantia fortiora hypercatharsin potius κάτω, quàm vomitum excitant.

Dixi in Definitione HYPERCATHARSIN esse *frequentem & copiosiorem* humorum tàm *excrementitiorum* quàm *alimentitiorum* excretionem; *non* quasi cum iis facerem, qui medicamenta Purgantia quoad præscribendi & operandi modum legitima, solùm vitiosum quod est in corpore aggredi & propellere, intactis planè humoribus alimentariis, credunt; *neq.* etiam ac si nescirem aut negarem in purgatione frequentem, vel copiosiorem saltim, quàm aliàs natura consueverat, fieri solere ac debere humorum excretionem; novi siquidem (1.) purgantia præter morbosum liquorem evacuandi, etiam utilem & alimentosum succum alterandi, corrumpendi & expellendi vim habere. (2.) copiosiorem debere esse

excrementorum ejectionem post adsumpta purgantia, adeò ut nec XV. aut etiam XX. sedes purgationem absolventes Hypercatharseos adpellationem statim mereantur, si ἀλαβῶς καὶ ἀκαίρως factæ sint, cùm excreta non copiâ æstimanda, sed respiciendum sit ad ipsorum qualitatem & ægri vires, seu tolerantiam, juxta monitum *Coi sect. 1. aph. 23.* Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει κρινέτω, ἀλλ' ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ καὶ φέρει ἀφόρως, h. e. *Quæ evacuantur non sunt æstimanda copiâ, sed si, quæ oportet, vacuentur, & æger facilè ferat.* id quod confirmatur in *aph. 25. sect. 1.* ut & *aph. 3. sect. 4.* Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει ἢν καὶ ἀφόρως φέρωσι, τὰ δ' ἐνάντια δυσχερῶς. *Si talia purgentur, qualia decet purgari, confert, & facilè ferunt, contra verò si fiat, graviter.* Ex quibus omnibus abundè constat copiosam debere esse excretionem, terminum autem perfectæ purgationis esse tolerantiam ægri & rejectionem humoris vitiosi, satisque benè, ut solet, loqui *Sennertum l. 3. Prax. med. part. 1. s. 2. c. 13. p. 163.* scil. Licet evacuatio satis copiosa sit, & tamen *cum ægri tolerantiâ* fiat, aut *saltim virtus non valdè dejiciatur, etsi aliquô modô debilitetur*, fluxum neque cohibendum, neque adjuvandum, sed naturæ rem permittendam, ac symptomatibus saltim occurrendum esse. Itaque solùm NIMIUM, quod hîc contingere solet, culpo; id enim, ut aliàs, ita potissimum in purgatione naturæ inimicum est, hinc δυσφορία patientis exsurgit.

Helmontius lib. 1. de potest. med. n. 33. in dispens. n. 38. & alibi Purgantia omnia *virulenta, maligna, nociva* & *venena* vocat; licet autem de abusu potius non verò legitimô eorum usu hæc intelligenda esse cum plurimis censeam, non negandum tamen existimo haut paucas res purgantes aliquid, si non veneni, saltim medicamen-

mentorum sphæram excedentis, & de venenositate participantis in sinu suô fovere, quod multis non nequirem rationibus deducere, si instituti id ratio permitteret. Cùm igitur stantibus hisce, Helmontiô quoque teste, & consentientibus autorum observationibus, nec refragante ratione ipsâ *purgantia semper aliquid de vitâ deprædentur*, haud conjicere difficile erit, quantas turbas, quantas noxas, in Republicâ Microcosmicâ creent *Purgantia δεφτικὰ, fortiora*, vel non benè correcta, aut inconvenienter quoad dosin & tempus exhibita, verbo; quantum noceat Hypercatharsis?

CAP. II.

De SUBJECTO.

PRogredimur nunc ad investigationem SUBJECTI; faciliùs enim, teste Medicorum Cicerone, *Celsô l. 4. de re Medicâ c. 1.* novimus morbum & ejus curam, si priùs sedem ostendimus.

Principale ὑπερκαθάρσεως Subjectum ratione *excretionis* & *irritationis* statuimus *ventriculum*, imprimis *prolongatum*, ut loqui amant Anatomici, h. e. *Intestina*; *minus principale* vero ductum cholidochum, pancreaticum, glandulas miliares intestinis intertextas, quin alias quoque partes, ad quas aliàs purgatio pertingere solet. Ratione *colliquefactionis* & *fermentationis* subjectum principale dici potest massa sanguinea.

Ut res feliciùs pateat, consideremus modum illum quô in legitima humorum evacuatione ab adsumptô purgante recrementa ad intestina perveniunt.

Cacochymiam, sive *humores* in *qualitate* vitiosâ & *copiâ*

copiâ peccantes Maſſæque Sanguineæ commixtos purgationem indicare ex Inſtitutionibus eſt notum. Effunduntur autem illi in ventriculum & inteſtina, à quibus deinde ulterius eliminantur, *non immediatè* per vaſa ſanguifera ex Maſſâ Sanguineâ; quicquid enim de arteriis eô tendentibus dicitur, dicitur tantùm, ut benè ait *Sylvius Prax. Med. app. tr. 6. p. 749.* §. *190.* nec ſatis probatur; ſed mediantibus quibusdam quaſi *filtris* ſeu *colatoriis* eô transfunduntur.

Hæc *filtra* ſeu *colatoria duplicis* ſunt generis; alia *manifeſtiora*, ut *ductus ſalivales*, qui in os primùm, deindè per oeſophagum ac ventriculum pituitam & ſerum ad inteſtina deducunt; porrò in ipſis inteſtinis *ductus cholidochus epaticus & pancreaticus*, à quorum contentorum Tincturis excreta alvina, & ea quæ per vomitum rejiciuntur plerumque flavedine, aut interdum etiam viriditate ſaturata conſpiciuntur; alia *minus manifeſta*, *glandulæ* nimirum *miliares*, quæ intimæ inteſtinorum tunicæ adhærent; & ſuis tubulis excretoriis hiant in inteſtina, per quos recrementa, quæ priùs è ſanguine inbiberunt, eò evacuant.

Hinc liquet, quæ partes in Hypercatharſi patiantur, nimirum aſſumptum hypercatharticum *primariò* ventriculum, imprimis prolongatum ſeu Inteſtina, *ſecundariò* vaſa colatoria de quibus modò dictum, adficit: ubi enim medicamentum purgans aut legitimam doſin excedens, aut aliàs non debitè uſurpatum, vel nimis acre, δραστικὸν, humores corporis noſtri aut nimium attenuat, turbat, fermentat, aut ſimul inteſtina vellicat, rodit & violentiùs ſtimulat, ab hujus perceptione vellicata Inteſtina ſe contrahunt, unde tormina, & propter læſionem & roſionem filtrorum ſeu vaoſrum colatorio-

rum

rum pori aperiuntur, sanguisque provocatur, eâdem, quâ ab acri sternutatoriô tandem sanguinem post repetitam sternutationem emitti observamus, ratione.

Remotius subjectum totum corpus esse potest; dum enim purgantium solutio lactearum mesaraicarumque oscilla, verbis utor *Pechlingii de Purgant. c.30. p. 400.* e mensa, ad mesenterii partim glandulas, partim hepatis penetralia proserpit, in glandularum recessibus lymphæ conjungitur naturali fluore ad cor festinanti, hujusque deinde ductu in venam axillarem sanguinisque Euripum infunditur, quin imò omnes emetitur venarum cancellos.

CAP. III.

De CAUSIS.

FRustrà, inquit *Pergamenus lib. X. M. M. c. 1.* laboramus in curandô tunc temporis, ubi causa ejus fovens negligitur. CAUSAS igitur Symptomatis præsentis ut investigemus necessum est.

Harum *tres* in definitione Hypercatharsi assignavimus *(1.)* nimiam humorum fermentationem, *(2.)* Contractionem ventriculi & intestinorum *(3.)* assumptum purgans. *Priores duæ immediatæ, tertia* verò *remotior* dici poterit.

Immediatas has esse causas facilè constat, si potestates, quibus aliàs operari solent purgantia, contemplemur. Scilicet purgantia videmus agere vel *(1.)* colliquefaciendo, attenuando & in fermentationem humores in vasibus contentos conjiciendo; vel *(2.)* irritandô, vellicando, & arrodendo vasa continentia, h. e. ventriculum cum intestinis & vasis ad ea tàm mediatè

quàm immediatè abeuntibus, de quibus in *præced. cap.* pluribus, vel (*3.*) fermentando & simul irritando.

Prius, *Fermentationem* scilicet & *colliquefactionem humorum* quod spectat, non opus est ut prolixus sim in illô probandô. Purgantia medicamenta inquit *Sylvius prax. med. l. 1. c. 7. p. 169.* §. *48.* non tantùm vitiosos humores evacuandi, sed eosdem quoque alterandi ac emendandi, & ad eductionem commodam præparandi vim habent. Plura qui de his desiderat, adeat *Pechlini tract. de Purgantibus c. 32. p. 417. & 439.* Neque parum huc facit, quod passim apud Practicos & in ipsâ curatione morborum observemus, medicamenta purgantia aliis, imprimis aperientibus, pectoralibus, alterantibus & similibus medicamentis addi, non ut purgandi potestatem exerceant, sed solûm ut aliorum medicamentorum, quibus adduntur, virtus attenuandi & incidendi magis intendatut & juvetur; imò quod purgantia, etiam fòrtiora intentionem medici qvandoque planè non attingant, sed locô expectatæ evacuationis per alvum, *vel* solùm menses, *vel* sudores expellant, *vel* diuresin inducant, sanè hoc à singulari suà incidendi, attenuandi & fermentandi virtute potissimum provenire posse asserere nullus dubito; quin existimo, quòd iis in casibus natura, morborum optima curatrix, à visciditate humorum obruta & suppressa, nec emergere, & ad humorem, ejiciendo ineptum, satis sufficiens, ab exhibitô purgante, h. e. impetratô auxiliô à coadjutore humores viscidos attenuante, incidente, colliquefaciente & fermentante, sicque se levari in opere sentiens promptius tunc assurgat, hostem adgrediatur, eumque per illam, quam sibi conducibiliorem novit, portam expellat, non attendendo medici voluntatem aut præscriptum; novit

enim

enim illa meliùs ministrò suô quæ via ad expellendum accommodatior sit.

An autem *fermentatio humorum sola ad purgationem sufficere* queat, neque irritatio & contractio Intestinorum *simul* necessaria sit, multos video dubitare, alios id planè negare, mihi tamen illud impossibile haud videtur; etenim cum videam solam fermentationem e. g. in mustô & cerevisiâ novâ (alias, quæ ex Chymicis proferre in medium possem, fermentationes lubens prætereo) sufficere ad sequestrandum & ejiciendum inutile & impurum unà cum fecibus, licet nulla dolii accedat contractio; (est enim inanimatum quid, neque sentire potest aculeos pungentium & rodentium salium) hinc facilius mihi persvadere possum eandem ad purgationem in corpore perficiendam etiam posse sufficere.

Deinde *contractionem vasorum humores continentium* quod concernit, nemo forsan illam Hypercatharsi denegabit, qui perpendet duo ferè in quovis, tàm naturali quàm p.n. contentorum motu esse obvia, scil. partis moventis irritationem, & hinc fibrarum ejusdem motricium contractionem, indeque fluidorum contentorum multiplicem motionem. Quotiescunque nimirum pars quædam, sensu molesti vel noxii infestatur, fibrarum sensilium inordinatâ & vehementiori vibratione spirituum ad eam in auxilium vocatur impetus, à quibus aucta & plus minus spasmodica earum tensio perficitur. Contractis sic fibris, vasa quoque tàm sanguifera quam lymphatica aliaque, & quicunque partis meatus stringuntur plus minus, indeque vel remorato contentorum transitu, horum, circa locum ita adfectum, *stagnatio*, unde superveniens *tumor*; vel copiosior per vias, aut consvetas, aut insvetas, apertas tamen vel facilè

aperibiles, pro circumstantiarum ratione, *effusio* sequitur.

Ubi ergò medicamentis purgantibus exhibitis vel 1. *ipsorum*, vel 2. *Medici*, vel 3. *Patientis* etiam culpâ (de quibus, tanquam *remotioribus causis* nunc agendum) *aut* nimia in vasis *contentorum* colliquefactio & fermentatio, *aut* vasorum *continentium* â molestâ acredine vellicatio, rosio & contractio ad expellendum noxium excitatur, facilè Hypercatharsi ansa dari poterit.

Medicamentorum culpâ potest Hypercatharsis contingere, quoties purgantia δραστικὰ exhibentur.

Sic ob pilulas *ex euphorbiô solô* confectas dysenteriam *(potiùs Hypercatharsin)* unâ die subortam atque alterô die ægrum sepultum fuisse annotavit *Alex. Benedict. pract. l. 12. c. 17.* referente id *Schenkio observ. 2. l. 7. p. 887.* itidem exemplum hujus symptomatis suborti ex *semine lathyris* assumpto narrat *observ. 5. p. 880.*

Alexander Massarias operum Med. l. 3. c. 22. p. 226. se ex usu medicamentorum, ac potissimum vehementiorum, *scammonii, colocynthidis & similium* frequenter dysenterias observâsse, asserit. It. *Borellus Histor. & observ. Medico-Phys. cent. 2. obs. 64. p. 164. A medicamentô minerali cathartico* triduo repetitis vicibus supernè & infernè cum tantis torminibus & cruciatibus quendam purgatum, ut inquietus & insomnis in universis totius corporis articulis, & quod mirum videbatur, ad ipsas ungvium radices, supra vices, ut dicebat, humanas excruciaretur, annotavit *Binningerus obs. med. 76. Cent. 2. pag. 218.*

Quàm periculosas, dolorosas & lethales hypercatharses δραστικὸν illud medicamentum *Heslingianum Azoth* induxerit *D. Möllenbroc. ann. 1. misc. Germ. obs. 54.* recensuit.

ſuit. Vid. etiam *D. Schrökii Schol. in Helwigii Obſerv. Med. Phyſ. 53. p. 184.* Ejusdem ferè nominis Medicamentum, *Pilul Azoth* ab empirico quodam Haffniæ nominatum & venditum, quod cõſtitit ex *cataputia minori, gummi gutta & fuligine* tormina, vomitiones enormes, hypercatharſes & alia mala unicâ pilulâ piſi majoris magnitudine multis procreâſſe annotatum legimus à *D. Kölichen in act. Haffnienſ. part. 1. n. 88. pag. 172.*

Et profectò *ſcammoniata, colocynthina, eſulina, helleborina, cucum. aſin. laureol. elater. euphorb. gialapp. gran. Cataput. major. & min. &c.* omnia majori doſi aut aliàs inconſideratò propinata, nec l. a. correcta, non rarò ſanguinolentam inducunt Hypercatharſin.

Scammonium, quod à *Walæo* ſalutatur anima purgantium atque optimum omnium pharmacorum, ſi minùs cum judicio uſurpetur in tantam hypercatharſin ἄνω καὶ κάτω plurimos conjeciſſe, ut de vitâ periclitati, & veriti fuerint, ne cum excrementis, ipſa etiam anima exterminanda, teſtatur *Auguſt. Thonerus Epiſt. Medico Philoſ. 26. p. 358.* additque aliquem *Scammonium* ideò vocaſſe *Schelmmonium*, ſeu nebulonem. *Tithymali* omnes abundant ſuccô quôdam cauſticô, qui ſuccus fundatur ⊖le volatili admodùm acri; hoc ⊖ cauſticum tàm alimentitios quàm excrementitios, ſi minùs l. a. corrigatur, ſuccos fermentandô expurgat, ac lethalem portendit Hypercatharſin.

Idem eſto judicium de aliis, non legitimâ doſi propinatis, aut minùs benè præparatis, aut aliàs inconſideratè exhibitis, qualem obſervationem leginus ap. *Joh. Petr. Lotichium Obſerv. medic. l. 4. c. 1. obſerv. 4. pag. 289.* de ☿riô *vitæ*, qui ideò ipſi mortis pararius, aliis verò ☿ mortis dicitur. De *vitrô ☿ii* vid. *obſervationem 79. Georg. Hieron*

Velschii, *pag. 65.* De *ἰὸ diaphoretico* dicitur, quod, nisi probè calcinetur & elixivetur, ferocem suam emeticam virtutem non deponat; Ab eô non legitimè præparatô provenisse Hypercatharsin, testis est *D. Amman in Medic. Criticâ pag. 141.* & *Wolf. Hœferus in Hercule Med.*

Medici culpâ contingit Hypercatharsis plurimis modis; potiores tamen sunt, si *1.* præter necessitatem *2.* non observando leges artis *aut* circa debitam dosin, *aut* correctionem, *aut* humorum ac patientis constitutionem catharticum exhibetur.

Utrumque empiricorum est, qui non habitô respectu ad veras causas, signa & similia, neque ad sexum, ætatem, temperamentum & vitæ genus reflectentes, sæpè nobilissima cathartica turpissimè prostituunt, quod plurimis exemplis illustrat *Petr. Forestus observ. Med. 16. l. 22. pag. 379. & seqq.* Atque hinc exhibendo quid pro quô, purgans pro leniente sæpissimè Hypercatharses lethales, aliaque mala excitant. Cùm tamen satiùs sit & tutius, benè ita monente *F. Sylviô Prax. Med. l. 2. c. 7. p. 402.* §. *9.* per epicrasin (i. e. *purgationem partitis vicibus institutam*) corrigere & simul minuere causam morbificam, quàm vehementer ipsam agitandô ægrum in gravioris mali periculum conjicere. Imprimis in bilis expurgatione, in quâ, *eôdem* momente *l. c. l. 1. c. 7. p. 169.* §. *47.* tutius est minori dosi uti cholagogis ob Hypercatharseos metum.

Nulla res, inquit *Vincentius Alsarius Crucius de quæsitis per epistol. in arte Medicâ cent. 4. p. 305.* est, quæ medicinam magis incertam & conjecturalem efficiat quàm definita & congrua faciendi remedii quantitas, maximè verò purgantis medicamenti, in cujus exhibitione duo quandoque committuntur errores, ambo à medicô,

quan-

quantum poteſt, declinandi. Primus error eſt, quando juſtò imbecillius præſcribitur medicamentum, ut nihil evacuet, & plus, quàm oportet, calefaciendo noceat, morbumque adaugeat; aut ſi evacuet, longè minus ſit quod vacuat, quàm quod moverit.

Sanè quod *Hipp. l. 2.* ὑπομνήμων *ſ. 2. p. 801. edit. Lindan. n. 45.* ait: μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν ὑπερορᾶν, id vel maximè circa purgantia Medico obſervandum autumo; omnes ſiquidem circa ægrum, morbum & medicamentum, quæ occurrere poſſunt, antè perpendendæ ſunt circumſtantiæ, quàm purgans fortiùs exhibeatur, ne ignominioſè fateri tandem Medicus cogatur: *Non putaram*.

Probè ergò conſiderandum venit, an maſſa ſanguinea facta Cacochymica *alterantibus* corrigi queat, nec ne; ſi fieri nequit, *ſeparandum* eſt vitioſum, & quidem *præcipitando* materiam illam ex maſſâ ſanguineâ & *evacuando*, imprimis per *urinam*, & hinc per *ſudorem*; hæc enim ſunt naturalia & legitima media, quibus purificatur maſſa ſanguinea; ubi vero propter certas circumſtantias hæc non ſufficiunt, ad *laxantia* eſt progrediendum; aut ſi jam dicta ob evidentes cauſas ex pathologicis ſatis notas locum non habent, accedendum demum eſt ad *Purgantia*, quæ irritant inteſtina, ſicque influxum humorum ad dicta loca cauſantur, unde quæ ſanguine permiſta erant recrementa, per ductus cholidochos, pancreaticum & glandulas miliares ad inteſtina, & tandem ad podicem feruntur.

Doſin Purgantium quod concernit, cùm ea ſint vel *blandiora* vel *vehementiora*, de quorum potioribus egregiè & incompendio agit ſæpè citatus *Sylvius Prax. Med. app. tr. 6. pag. 751. §. 202.* & *ſeqq.* prolixius verò de

pur-

purgantibus Vegetabilibus *Rolfincius lib. de purgantibus vegetabilibus.* De omnibus autem *Pechlinus exercit. de Purgantibus;* hinc ſemper cujusque legitima doſis, conveniens corrigens & ſtimulans attendi debent, verbo: *ne quid nimis.*

Notum quippe eſt omnia propriè dicta purgantia fortiori doſi propinata facere Hypercatharſin, ob fortiorem, quam præſtant irritationem, præcipuè ex colocynthide, ob cujus ſiniſtrum uſum bis lethalem hypercatharſin obſervavit *Felix Platerus obſerv. l. 3. p. 805.* it. elateriô, helleborô, ϊiô & aliis μοχθηροῖς parata, unde corrigentibus opus eſt. Deinde quæ mucilaginoſa, viſcoſa ſunt, idoneis incidentibus præparanda, ne tormina, aliæque moleſtiæ ægris creentur; imò ſemper ad illud Hippocraticum CITO, TUTO & JUCUNDE, reflectendum.

Sic v. g. *ſenna,* licet, ut *Sylvius l. c.* ait, imbecillum & blandum purgans ſit; *vehemens* tamen dicitur ideò, quòd plerisque tormina ſoleat ciere, adeoque cum moleſtiâ evacuationem facere; hoc igitur ne fiat, addenda ſunt tam ſtimuli quàm corrigentis locô vel ♀rea, v. g. *cremor, cryſtalli,* vel ⊖ ♀*ri*, utpote quæ ſubſtantiam mucilaginoſam, unde tormina depẽdent, corrigunt, vel ejomodi alia.

Sic nobile & catholicum purgans eſt *Gialappa*, utpote quæ hodiè medicis, in purgantibus præſcribendis utramque ferè replet paginam, ipſiusque *reſina* adeò magni æſtimatur, ut omnibus ferè reliquis palmam præripiat; Sed quis neſcit, *eam*, ſicut & *alia ejusmodi reſinoſa* propter viſcoſitatem ſuam, quâ pellibus inteſtinorum adhæret, ſæpè graviſſima tormina & hypercatharſin excitâſſe; unde talia vel *cum ſalinis* e. g. ♀ ⊕tô, crem. ♀ri & ſimilibus, vel *cum oleoſis* conjungi, & ſic corrigi debent; Sic, ſi cum oleoſis, quibus propter ♀eam

reſi-

resinositatem maximè cognata, junguntur, propter hanc cognationem facilè ab iis resolvuntur, fluxilioraque & penetrantiora fiunt: itaque possunt vel in *vitello ovorum*, vel in *emulsione seminis melonum* &c. vel in ℣ commodè & facilè resolvi, & in legitimâ usitatâ dosi sine metu alicuius molestiæ exhiberi. e. g. ℞ *Resin. scammon.* ℈ß. *dissolvatur cum vitellò ovorum, addaturq; aq. rosarum vel cinnam. q. s.* fiet hinc *Emulsio* citæ, tutæ & jucundæ operationis.

Quin non purgantium solùm, sed etiam *constitutionis ægroti* optima Medico habenda est ratio; testatur quippe celeberrimorum Practicorum experientia, sæpè *à purgantibus lenioribus* in iis, qui vel debilem, vel ut sic loqui liceat, papyraceum ferè habent ventriculum, Hypercatharsin fieri; stomachum enim ratione acidi sui, purgantium Θlia corrigentis & subigentis, haud parum posse in purgantium medicamentorum viribus infringendis aut juvandis, vel hypochondriaci & melancholici docent, qui ob potens, quô abundant, acidum sæpè nec generosioribus moventur purgantibus. Ubi igitur debilis est, & patientes nimis sensilis sunt texturæ, præterea excrementitiis, acribus, serosis præsertim humoribus abundant, lenissimo stimulò concitantur ad citatum exitum.

Necessariò quoque respiciendum est ad *ipsum vitiosum in corpore peccantem humorem; an scil. adsit, nec ne; & si adsit, an dispositus sit ad purgandum, an* verò *minus.* Sic *Borellus hist. & obs. med. phys. 45. cent. 2.* meminit presbyterum quendam castrensem, *sanum* licet, purgatione uti voluisse cujusdam consilio, sed statim humores ejus adeò fuisse perturbatos, ut mors paucis ab illa diebus successerit. Non frustra igitur *Hipp. sect. 1. aph. 22.* πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, quæ matu-

ra coctaque sunt, medicamento purgante educere ac movere oportet, non cruda, præcipit.

In cruditate acida evacuantia vix satis tuta aut fida sunt; aut enim purgantium quorumcunque virtus ab acidis destruitur, ut non rarò, ceu modò dictum, hypochondriaci, melancholici & cæteri, in quorum ventriculô acidum liquamen hæret, fortissima quoque vomitoria & purgantia absque molestiâ aut effectu digerant; vel quod pejus est, ubi acris ejusmodi humor commovetur, solent abdominis cruciatus atque tormina, imò & convulsivi motus sequi, ut hinc in gravius periculum conjiciatur æger. Rectissimè proin *Sylvius Prax. Med. l. 1. c 7. p. 170.* §. *53.* monet, in *cruditate acidâ* à purgantibus abstinendum esse, antequam hic humor temperatus, inque seri naturam conversus fuerit, idque ulterius confirmat *app. tr. 8. p. 785.* §. *133.* Quemadmodum etiam in *cruditate biliosâ* observanda dosis vomitorii quàm maximè est, minorque sufficit, quia biliosa non difficulter per vomitum rejiciuntur, quô ignoratô, aut neglectô ad periculosas Hypercatharses sæpissimè deducuntur ægri. Ubi dubium est, quâ dosi commodè purgari possit æger, satiùs, ait *Sylvius l. c. p. 786.* §. *150.* in defectu peccare, quàm in excessu, imprimis *ubi turget bilis*, utpote quæ tunc levi pharmacô educitur; addit quod tunc facilè sequatur Hypercatharsis.

Restat tandem ipse *Patiens*, cujus culpâ Hypercatharsin quoque oriri posse suprà diximus; imò *ut plurimùm fieri* existimamus.

Δεῖ δὲ ἀ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα καὶ τοὺς παρέοντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, inquit ὁ θεῖος *Hippocrates 1. aph. 1.* Nec verò satis est Medicum suum fecisse officium, nisi suum quoquè ægrotus, suum adstantes faciant, sintque externa ritè parata. Lo-

Locum hoc quàm maximè habet in Purgantibus, hîc enim non ſatis eſt Medicum lege artis præſcripſiſſe & exhibuiſſe purgans, ſed δεῖ, præcipit Hippocrates, *Oportet* ut etiam Patiens ſuum quoque faciat officium, ſcil. in diætâ ſeu victus ratione ſe ita gerat, ne præter culpam Medici & medicamenti noxa aliqua inducatur; quin bona fama Medici & Medicamenti cum vitâ ægroti, periculum incurrant.

Adſumptô igitur purgante vitandus, imprimis minus conſvetis eſt *aër* tàm *nimiùm calidus*, quàm *frigidus* & *pluvioſus*; imò hyemis tempore, dum inclementior aër urget, melius eſt aërem planè fugere, & in locô tepidiore commoditatem ſuam quærere, ſecus ſi fecerit æger, Hypercatharſi facilè fores aperiet, ego ipſe meô teſtari id poſſum exemplô.

An *nudis pedibus* ſit deambulare ſatis tutum ſuper pavimentum, ut promoveatur purgatio, nolim adfirmare, cùm res periculi ſit plena, facileque ſuper purgationem excitare valeat. Conſentientem habeo hoc in paſſu *Kyperum qui Colleg. med. Diſp. 20. §. 16.* ait: Refrigeratio abdominis & extremarum partium operationem purgantis promovet, aliquando ita potenter, ut non ſatis tutum ſit, eam ſuadere, licet eam profuiſſe obſervatum ſit.

Cibum quod concernit, cavendum ne tùm in *quantitate*, tùm in *qualitate* hîc peccatum committatur; dum enim evacuationes fiunt, æger tenuiùs nutriatur vult *Hippocrates*. Vitandi quoque ſunt cibi nimis humectantes, quia, teſte *Galenô de Affection c. 49. t. 3.* alvum nimiùm ſubducunt, quales ſunt cucurbitæ, melones, fraga, pruna, fungi, uvæ, muſtum, fructus horæi; quò referri etiam poſſunt pinguia, oſſa, lacticinia, butyra-

cea, cibi dulces, melliti, saccherata & quæ bilem augere acidumque destruere valent. Hæc enim omnia & ejusmodi plura humores magis fermentare & acredine suâ intestina ad contractionem irritare, sicque tormina & Hypercatharsin inducere valent. *Potus frigidus* quemadmodum in sanis sæpè alvi fluxum excitat, & in purgatione promovenda utilem sæpiùs operam præstat; ita in hypercatharsi promovenda haut rarò plurimùm confert.

Motus corporis quid effectûs det adsumptô purgante, exinde videmo, quod, quemadmodum hujus per quietem omnimodam tota sufflaminatur actio: ita nimius motus creet Hypercatharsin, quod ex *Hipp. aph. 41. sect. 4.* facilè colligi potest. δηλοῖ ἡ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει; vel navigatio indicat motione turbari corpora, eôdem monitore *aph. 15. s. 4.*

Motus ergò hic modum si excedit, fœcundus morborum existit parens, dum suum nutricatui suffuratur pabulum, humores commovet, & in ὀργασμὸν præcipitat; *omne* siquidem *nimium*, Oraculô ipsô teste, *natura est inimicum.*

Pertinent huc etiam *Motus animi* vehementiores, ira imprimis humores in motum concitans atque ad nimiam impellens evacuationem: unde vel ab hâc solâ cholera, diarrhœa, aliique alvi fluxus excitantur.

CAP. IV.

De DIFFERENTIIS & SIGNIS.

IN quô Hypercatharsis *ab aliis alvi fluxibus* differat facilè ex hactenus dictis liquet, scil. quod hîc *adsumptum* præsupponatur *medicamentum purgans*, aliàs siquidem in

in pluribus cum diarrhoeâ, cholerâ humidâ & dysenteriâ convenit.

Ratione *causarum* alia à purgante per fermentationem; alia per irritationem magis fit: alia medicamenti, alia medici, alia patientis culpa.

Ratione *numeri* sedum, alia ultra viginti sedes & ad sanguinem usque excurrit. Sic *Timæus* von Güldenklee *cas. medic. 16. l. 3. p. 128.* observavit spacio quindecim horarum *plus quadragies per alvum, & septies per vomitum,* tandem etiam *cruenta* excreta fuisse, alia quoque exempla vid. apud *Schenkium Obs. Med. l. c. Borellus loco in cap. præced. cit.* annotavit ultra octuaginta ejectiones. alia *excedit numerum*, qualis observata fuit à *Schenkio l. c. p. 880. obs 50.* in muliere quæ *per decem continuos dies* plurimas habuit dejectiones non sine ramentis intestinorum.

Dari Hypercatharsin *Criticam* asserit *Joh. Theod. Schenk. Synops. Instit. Med. Disput. l. 5. part. 2. sect. 1. art. 3. pag. 273. §. 20.*

SIGNA quod spectat in Scholis Medicis dividuntur in *Diagnostica* & *Prognostica.*

Præstò adesse Hypercatharsin ex δυσφορίᾳ ægri ob humorum tàm alimentariorum, quàm excrementitiorum, interdum sanguinis & ipsorum spirituum excretionem nimiam ad oculum patet; adsunt hinc prostratio virium, lipothymiæ, summæ anxietates, sudor frigidus, pulsus languidus, convulsiones, singultus, tormina hypochondriorum, intestinorum, quandoque cruciatus in universis totius corporis articulis, imò usque ad ipsas unguium radices se extendentes, cujus exemplum *cap. præced.* ex *Binningerô* adduximus, sitis maxima, adpetitus planè prostratus, nausea, oris amaror, concidentia totiùs corporis & alia plura.

πρόγνωσιν quod concernit, circa *tria* hæc versatur, 1. prædictionem salutis & mortis. 2. morbi longitudinem & brevitatem. 3. modum eventus.

Signa, quæ circa *salutem* & *mortem* versantur, quod spectat, ait *divinus noster senex 3. aph. s. 4.* ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι, τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς. Si talia purgentur, qualia decet purgari, confert & facilè ferunt, contra verò si fiat, graviter. Et *aph. 3. s. 1.* αἱ κενώσεις ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι σφαλεραί extremæ vacuationes periculosæ, id quòd confirmat *aph. 51. s. 1.*

Periculosum ergò hunc agnoscimus adfectum, & maximè in infantibus, senibus & iis qui tenerioris sunt constitutionis seu texturæ, ob graviorum symptomatum cohortem, qui sufficiens est ad mortem inferendam. Sic etiam juxta *Hipp. aph. 4. s. 5.* ἀπὸ ὑπερκαθάρσεως σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν, à purgatione immodicâ convulsio aut singultus superveniens, malum; quod confirmat *Sylvius l. 2. prax. Med. c. 23. p. 444. §. 60.* dicens: A purgatione convulsio, mala censetur, non tàm semper à medicamenti acrimoniâ, quàm humorum motorum; malum tamen, addit, est, si acre exhibeatur medicamentum, à quô convulsio excitari queat.

Longitudinis & *brevitatis* ratione, dicimus hunc adfectum similem esse acutis, quatenus ejusmodi malè fidis & gravioribus stipatus est symptomatibus; nam sæpè *intra 24. horas* mortem infert, qualia exempla ex *capite præced.* repeti possunt; interdum verò *per aliquot dies* continuos durat, cujus generis exempla *ibidem* videri poterunt; ast si in principiô statim medicamentis atque diætâ succurritur, periculô caret.

Modus restat *eventus.* Ad *salutem* terminatur, si medicamenta ritè adhibentur & vires adhuc respondent;

dent; ad *mortem* verò si vires fractæ & resolutæ, gravioraque superveniunt symptomata, ut convulsio, singultus, sanguinis nimia excretio. &c.

Joëpserus Manuduct. ad vitam longam c. 10. p. 330. ait, se nosse tales dejectiones copiâ excedentes non rarò *tabem, sanguinis* suô serô destitui *corruptiones, febres putridas* ac *mortem* induxisse. Sic quoque *Borellus l. c. cent. 2. obs. 62. maciem* ex Hypercatharsi annotavit. *Paralysin totius corporis* ex Hypercatharsi observavit *Helwig. vid. Obs. Med. Phys. posthum. 53. p. 183.*

CAP. V.

De CURATIONE.

PErspectô Hypercatharseos genere, subjectô, causis, differentis, signis tàm diagnosticis quàm prognosticis, operæ omninò ducimus pretium, ut, quibus auxiliis & remediis illa sisti & curari queat, simus etiam sollicitì.

Sistit autem se hîc quæstio enodanda, *an Hypercatharsis sit statim sistenda nec ne;* siquidem in autorum evolutione observo quosdam hôc in passu in diversas abire sententias. Alii enim ad eam curandam statim suadent *adstringentia* & *sistentia* esse adhibenda. *Georg. Bertinus Med. l. 20. c. 12. p. 628.* immodicam evacuationem adstringentibus, frictionibus & cucurbitulis sistendam ait. Alii confugiunt ad *anodyna*, quæ *Kozak de hæmorrhag. l. 1. c. 6. p. 214.* virtutem ait habere *purgantibus omninò contrariam*, non quòd constipent vasa, renes & intestina, sed quòd vapores coagulent, & in humores cogant, humores autem in quiete custodiant & motum eorum effrœnum compescant. Hinc quidam ad

sacram

ſacram anchoram, *opium* confugiunt, idque ad gr. 2. 3. & ulterius exhibent. Alii alia adſtringentia pro arcanis habent; Ita memini aliquem *terræ ſigillatæ* ℈j. cum *lap. hæmatit. præpar. gr. Viij.* & *opii gr. ij* omnibus in pulverem redactis pro ſecretô hoc in paſſu habere.

Econtrà alii ſunt, qui non ab adſtringentibus, ſed *demulcentibus* & *abſtergentibus* initium curationis fieri jubent. *Paulus Sorbait Med. Pract. tr. 3. app. de venen.* different. *p. 55.* Hypercatharſin non ſtatim inconſultò ſiſtendam ait, ne lupus in ſtabulô includatur, ſed *demulcentia & humores noxios inteſtinis adhærentes abſtergentia primò* adhibenda, *deinde* ad *adſtringentia* deveniendum adſerit. *Sennert. l. c. p. 164.* ſvadet, ut ſi medicamentum malignum purgans & venenatum adſumptum ſit, *abſtergens*, quod ſimul vomitum provocet ſit exhibendum, ad quam rem commendat aquam hordei; poſtea medicamenta, quæ peculiari vi malignitati & veneno illi reſiſtunt, danda vult. Idem ferè ſuadet *Petrus Foreſtus l. c. in Scholis*, & jubet primò *ſedare dolorem* enemate ex oleis & aliis rebus anodinis paratô, non tamen alviducis; ſimulque commendat lac coctum cum rad. althææ clyſtere injectum; hinc enemata intercipientia, & ſi contumacius malum, enemata valentius reſtringentia: tandem addit ante injectionem clyſteris præſtare prius bibere aquam hordei ad abſterſionem & deinde clyſterem injicere.

Sed brevibus me ut expediam, novi quidem alvi fluxûs *ab externô errore* provenientes intrepidè ſtatim ſiſtendos eſſe, minus verò eos, qui *motu naturæ* ſponta-neô accidunt; interim tamen exiſtimo hôc in paſſu pro varietate cauſarum, imprimis verò medicamenti adſumpti, conſtitutionis ægroti, abundantiâ humorum vitioſorum,

ſorum, it. pro ratione durationis, ut & pro gradib9 hujus purgationis curam variandam, nuncque ſtatim ſiſtendam nunc verò præmittenda eſſe abſtergentia & ſimilia.

Quò itaque citò, tutò ac jucundè abſolvatur curatio, ſecundum methodum receptam *indicationesq*, ceu Mercuriales poſitas in biviis ac triviis ſtatuas eam inſtituat medicus neceſſe eſt.

Indicatio autem ſtatuitur triplex: *Curatoria*, *Præſervatoria* & *Vitalis*.

Curatoria omnem movet lapidem, ut nimius humorum fluxus mox ocyus inhibeatur, ne lipothymiæ, anxietates, hinc convulſiones, aliaque mala ægrum infeſtent, eumque citius è medio tollant.

Præſervatoria ad cauſas, ne ſcil. vel medicus vel patiens eas ſuggerat, reſpectum habet. Quare, quòd in *2. & 3. cap.* monuimus, medicus ad ægri conſtitutionem, humorum qualitatem & copiam, medicamenti poteſtates noxias, & hinc debitam correctionem, doſin, it. ad diætam, & quæ ſimilia à Practicis paſſim annotantur, reſpicere neceſſum habet.

Vitalis ſpiritus, actionum & virium diribitores vel opifices reſpiciens, eos medicamentis & alimentis corroborantib9, it. adpropriatis ſervare ac reficere allaborat.

Indicata ſeu materiale præſidiorum, quæ indicationibus his ſatisfacere queunt, ex tribus uſitatis deſumuntur Fontibus; *Chirurgicô* ſcil. *Pharmaceuticô* & *Diæteticô*.

Inter *Chirurgica* auxilia omnium primum & generoſiſſimum habetur *Venæſectio*: hæc an *curatoriè* conveniat meritò ambigimus; ſiquidem per evacuationem hanc duplicem, duplici ratione vires, quarum in morbô omni, imprimis hîc ratio habenda eſt maxima, magis proſternerentur. *Binningerus* tamen Hypercatharſin

iteratâ & interpolatâ Venæsectione se curâsse adserit *obs. 81. cent. 1. p. 90.*

Cucurbitulas sine scarificatione cum multâ flammâ *scrobiculo cordis* adponere jubet *Rolfincius*, easdem commendat *Sennertus inter scapulas* & *hypochondria*, vel *inter umbilicum & stomachum* positas. *Umbilico admotas* laudat *Joh. Theod. Schenck l. c. & Paulus Sorbait. l. c.*

Ligaturas, *frictiones extremorum* & similia commendant plurimi.

Ex *Fonte Pharmaceuticô* primarium possident in Hypercatharsi sistendâ locum *anodyma & opiata.*

Kyperus l. c. §. *18.* superpurgationem omnium optimè & certissimè sedari ait *debitô opiatorum usu.*

Rolfincius solas commendat Pilulas ex *laud. opiat.* e. g. ℞. *laud. opiati gr. iij. vel 4.* F. *Pilulæ 4*, involvantur pulvere cinnamomi, exhibeantur cum cochleari *sirupi cinnamomi.*

Excellentissimus D. Wedelius Opiolog. l. 2. sect. 2. c. 4. p. 116. in Hypercatharsi vel solam *essentiam theriacalem* cum *aq. cinamomi* sufficere ait. *Egregia est essentia theriacalis cum dimidiô essentiæ opii*, propinata ad *gtt. 40.*

Et reverâ sacra quasi anchora in Hypercatharsi est *Laudanum Opiatum*, quod acrimoniam humorum temperet, & effervescentiam compescat, unde novô vigore armata natura fortius adversus hostem insurgit, eum feliciter depellit & subigit. Singulare quid observavit in hoc casu *D. Wedelius*, quòd sæpè à propinatâ laudani opiati unâ vel alterâ pilulâ *unicus redierit vomitus*, quasi confortata jam natura reliqvum omne ejicere allaboraverit. vid. *ipsius Opiolog. p. 116.*

Theriacam veterem cum vinô decoctionis hyperici

rici Hypercatharsin ex semine lathyris assumptô ortam curâsse vid. ap. *Schenkium l. c. p. 880.*

Quidam magnifaciunt *Theriacam cum confect. alkermes*, quibus addunt *ol. cinnam.* vel *menthæ gtt. 1. l. ij.* posset huic pro Medici prudentiâ addi quoque *granum unum opii*, & inde formari pilulæ. Sic conducibile quoque erit sequens.

℞. *aq. menth.* ℥j. *Spir. theriac.* ʒij. *laud. op. benè parat. gr. ij. l. iij. Sir. cydon.* ℥ß. M. capiatur cochleatim.

Adstringentia non negligenda: huic scopo satisfaciunt ♃ *a sigill. bolus armen. lap. hæmat. præpar. corall. & similia* plura, quæ passim ad sistendos fluxus à Practicis commendantur. Possunt exin variæ parari formulæ, e. g.

℞. *Bol. armen. Terr. sigillat ãã* ʒß. F. pulvis adstringens.

℞. *pulv. stypt.* ʒß. *smaragd. præpar.* ∋ß. *lap. hæmat. præp. gr. V. laud. opiat. gr. j.* M. D. S. Anhaltendes Pulver auff 2. mahl.

℞. *CC. s. △. ♃ sigill. a.* ∋j. *corall. rubr. præpar. rad. Zedoar. aa.* ∋ß. *laud. opiat. gr. j.* M. D. S. ût suprà.

℞. *pulv. styp. Croll.* ∋ij. *anodyn.* ∋j. M. & divide in tres partes æqu. S. auff 3. mahl.

Sennertus l. 3. Prax. p. j. s. 2. c. 12. p. 157. ait experimenti certi & secreti quasi locô nonnullis haberi, ut *ab usu antimonii* nimis vomenti *Vi cochlear unum vel alterum* propinetur, atque multos in momentô inde juvamen polliceri.

Quidam *radicum filipendulæ* ℥j. ut expertum propinant in vinô aut cum ovi vitellô.

Nec omittenda *Confortantia*, quatenus virium debilitati opitulantur & deficientes ♃ restaurant.

℞. *aq. Cordial. Cinnam. ãã* ℥j. *Theric.* ʒj.
Sirup. acet. Citri. ℥j.

F. potio calidè exhibenda.

℞. ▽ *cinnam. rubi Jdæi ãã* ℥ß. ♃ *theriac.* ʒj.
Ess. ambræ ℈ß. *M. D. S.*

Köstlicher Stärck-Tranck/ Löffelweise öffters zu gebrauchen.

℞. *Tincturæ corallor. cum succ. citri parat.* ʒj.
confect. alkern. ʒß. *M. D. ad vitrum S.*

Hertzstärckende mixtur, davon 1. Löffel voll auff 1. mahl zunehmen.

Commendanda quoque ægro est conserva rosarum antiqua, ut subinde nucis avellanæ magnitudine aliquid de ea assumat; possent ipsi admisceri nux moschat. Cinnam. Terra sigill. & similia.

Topica quoque suum ἐπιβάλλον μέρος haud conspernendum in curatione conferunt, *abdomini*, *ventriculo* & *scrobiculo cordis* adplicata.

Si *vomitus* urgeat *acetum rosaceum* calidum pannô quadruplicatô *stomacho* adplicandum; vel *sacculi adstringentes* ex *menthâ*, *absynthio*, *sale*, *nuce mosch. mastiche*, *in vinô austerô seu rubrô* cocti calidè adplicari debent. Vel *salis absynthii* ℈j. cum jusculô & *succô citri seu limonum* exhibeatur, monente *Paulo Sorbait. l. c.*

℞. *bals. peruv.* ℈j. ♁ *nuc. moschat. express.* ʒß.
℞ *t. menth. cort. citri ã. gtt. vj.*

M. F. Linimentum S. Magen-Balsam.

℞. *ol. myrth. mastich. Cydon. ãã* ʒiij. *spicæ* ℈j. *Cereq. s.*

F. unguentum ventri applicandum.

Em-

Emplastrum diaphœnicum, *stypticum* Mynſ. de *cruſtâ panis*, *maſtichin. cerotum ſtomachicum Auguſt.* quæ omnia cum oleis convenientibus malaxata ventriculo vel abdomini imponenda ſunt.

Collum obvolvatur linteô ✠ & ▽ imbutô.

CAP. ULTIMUM.

De REGIMINE DIÆTETICO.

DIÆTA tandem reſtat, quæ patienti probè commendanda erit.

Diſpeſcitur ea in *Vitalem*, *Naturalem* & *Animalem*.

Vitalis commendat *aërem* temperatum; frigidum verò vetat, cum magis profluvium promoveat. *Odoramenta* ad roborandos ſpiritus naribus admoveri ſolent; commendantur mala cotonea, & acetum.

Naturalis conſiſtit *in* cibi & potus legitimo uſu; vitentur omnia pinguia & humectantia. Conducunt auſteriuſcula & adſtringentia, ut meſpila, cydonea, aliaque ſimilia. Refert *Foreſtus l. 22. obſ. 1.* ægrum fluxu alvi laborantem cum nullis medicamentis curari potuiſſet, tandem *meſpilis comeſtis* convaluiſſe, & medico *trecentos aureos* pro ſola meſpilorum præſcriptione numeraſſe. Jubeatur quoque æger panem toſtum in vino malvatico intingere, & deinde ſuper panem illum aliquid de pulvere quôdam adſtringente ſpargere.

Animalis commendat ſomnum. Per hunc vires tùm vitales, tùm animales refocillantur, omnisque ſiſtitur fluxus, exempto ſudore. Egregiè hinc monitum illud *Hipp. 15. aph. ſect. 4.*: Cum helleborum ducere magis vis, move corpus, cum verò ſiſtere, ſomnum concilia, in hypercatharſi conveniet.

Et hæc in præsenti de Diæta dixisse sufficiant, plura è *cap.3.* ubi de causis egimus, peti poterunt; alia solertiæ medici relinqvuntur.

Atque hæc pro vilissimo ingenii mei modulo, non quidem ad ostentandum, sed exercendum illud, de materiâ hâc brevissime apposita sunt; Multa fateor, restant, quæ tamen adeò angustæ includi chartæ nequiverunt; Finio igitur:

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

IN medio virtus: nimium naturæ inimicum:
Hoc si perpendis, NOBILIS usque VIR es.

Sic suo EDELMANNO *applaudit*

PRÆSES.

QUis modus in rebus, qui certi deniqúe fines,
curandum; ut stimulus frenaqúe juncta sient.
Tu verò, ne quid nimis angat corpora, curans
plus ultrà ingenio tendis & arte Tuâ.
Ergò Tuo dignas meritus moderamine laudes
morborum in toto corpore victor eris.

Gratulabundus scribeb.

GEORG. WOLFFG. WEDELIUS,
D. P. P.

Quan-

QUantum homini noceat, tractas, ὑπερ-
usque-κάθαρσις;
tantum doctrinæ præfluit ore
tuo.

*In honorem Præeximii Dni. Respondentis
pos.*

AUGUSTINUS HENR. FASCHIUS,
D. Prof. Publ.

VIrtus nobilitat, virtute es nobilis, unde
Et jure & merito *nobile nomen* habes.
Nobile Musarum, Charitumque es germen, Hygeæ
Nobile delitium, dulce decusque cluis.
Nobile das genii specimen, mox nobile cinget
Noster Apollo Tuum frondis honore caput.

*In honorem Nobilissimi Domini Respondentis,
Fautoris atq; Amici sui suavissimi, hæce
apponere voluit*

JOH. HADRIANUS SLEVOGTIUS, D.

DA recht / Herr Edelmann / erhitzet Sein Geblüthe
Der Kunst-beseelter Geist / recht zeiget das Gemüthe
Auf Edele Begier / und hänget an der Krafft /
Die Hippocrene mit bewehrter Kräuter-Safft
Ver-

Vermischet / nur zum Dienst der Menschen in dem Leben;
Drümb hat sein Edler Geist sich diesem auch ergeben/
Und sucht den Adel nicht in hochgestamtem Blut/
Allein in einem sonst viel Lobens-werthen Muth/
Er will veradelt sein durch Adel-volle-Künste/
Was anders wird gesucht/das achtet Er vor Dünste/
Drümb wird die Pallas Jhm zum höchsten Tugend-Lohn
Bald setzen auff sein Häupt die Edle Ehren-Krohn.

Dieses setzte seinem Hochgeehrten und sehr werthen Freunde glückwünschend

JOH. PAULUS Bamberg/
Med. Doctor.